

Pra. 4. num. 19.

8
JOHANNIS VVILHELMI
ENGELBRECHT

in Acad. Iulia Moralium Prof. Ordinarii

*COMMENTATIO
IVRIS GENTIVM*

*DE
MILITANTIUM
OFFICIO IN EXP-
DITIONIBUS BEL-
LICIS*

*vulgo
in Feld-Sügen und Bataillen.*



HELMSTADII

Typis Georg-VVolfgangi Hammii, Acad. Typogr.
Anno M DCCV.




JOHANNIS AVENTHEMI
ENGELBRECHT
CONVENTIO
INRII GERMATICAE
DE
MILITANTIA
OFFICIO IN EXPL
DILIGENTIAS BEI
TICIS

in Bischöflichen und Baristlichen



HERMSTADTI

1785 Georg A. Offenbach Hamm, August 1785
anno MDCCCLV



SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI
GEORGII LUDOVICI
DVCIS BRUNSVICENSIVM ET LVNE-
BVRGENSIVM
S. R. I. ELECTORIS
PRIMO STATVS MINISTRO
VIRO
ILLVSTRISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRANCISCO
ERNESTO
S.R.I.COMITI DE PLATEN.

VIRO
PER. ILLVSTRI ET EXCELLEN-
TISSIMO
DOMINO FRIDERICO VVILHELMO
DE SCHLITZ

LIBERO BARONI DE GÖRTZ
EIVSDEM POTENTISSIMI ELECTORIS
MINISTRO STATVS
SVPREMO AVLAE MARESCHALLO
DOMANIALIVM RERVM AC BELLICI
SENATVS PRAESIDI

VIRO
ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
IOHANNI DE HATTORF
EIVSDEM POTENTISSIMI ELECTORIS
CONSILIARIO BELLİ INTIMO
PATRONIS ET MOECENATIBVS SVIS
MAGNIS

Commentationem hanc Juris Gentium
exiguum æternæ observantie pignus
sacram esse caput
auctor.



* * *

Vam *Vestrīs ILLVSTRISSIMI DOMINI*
sistere audeo oculis Commentationem aca-
demicam, non unæ cause me movent, ut
eandem illustribus nominibus *vestris*, qui-
bus terræ Brunswick-Luneburgicæ jure
meritoque assurgunt, inscribendam esse censuerim. Et hanc
quidem communem causam nemo non agnoscit, quæ & suf-
ficeret, nisi & accederent rationes propriæ, quæ debitum
quasi hoc atque tributum observantia non suaderent tan-
tum, sed & omnino exigerent. Ne quid ergo dissimilem,
aut ingenuum pudorem offendam, dicam aperte, cur
VOS VIROS SVM MOS Mœcenates submissò ani-
mi cultu obseruem, ac venerer. Dudum est, **ILLV-**
STRISSIME COMES, DOMINE GRATIOSE,
ex quo affectum tuum erga Parentem meum **POTEN-**
TISSIMI ELECTORIS Consiliarium auli-
cum non simplici vice comprobasti, quo eodem & perfri-
se magis adhuc in dies de-votissime Parens meus agnoscit,
sibique ex animo gratulatur, quod tanti Ministri benevolen-
tiam semper colere potuerit, in cuius vultu & prestantissima
indole, quod in tam eminenti fortuna planè admiran-
dum, ipsa comitas atque benignitas propriam sibi sedem ac-

) : (3

domi-

domicilium constituerunt. Hunc affectum singularem adeo non imminutum unquam, sed magis auctum, longiori temporum usu accidente, idem gratissima mente profitetur, optatque ex animo, ut eo quam diutissime sibi in posterum quoque perfrui liceat. Accedit & præter insignem illam, qua ILLVSTRIS EXCELLENIA TVA me quoque semper dignata est, clientelam, magnus erga Musas mansuetiores illarumque cultores favor, & admirabilis quædam propensio, quæ me inflammavit, ut inter ardua de bello & pace ac de patriæ commodis consilia, exile hoc specimen offerendum non dubita verim, quandoquidem ad arbustia quoque & humiles myricas, id est literarum studia TÉ respicere & qualiacunque ingeniorum monumenta haud aspernari confidam. VOS etiam qui patriæ dulcissime vestra ope & diuinis consiliis assistitis PERILLVSTRIS DOMINE BARO, ut & ILLVSTRIS DOMINE de HATTORF, veniam audacia mea dabitis, eum & VOS Patronos ac tutelares Deos commentationi meæ humillime expetam. Utique Vestrum belli consilia inaudita quadam & admirabili providentia in Senatu bellico moderatur, TV quidem PERILLVSTRIS DOMINE BARO Præsidium summum, TV vero ILLVSTRIS DOMINE de HATTORF consilium & salutare suppeditando. Durius itaque haud feretis si Viris de saga & militaribus rebus consultantibus Juris gentium dissertationem sacrare præsumam, quæ de militantium officio in expeditionibus bellicis inscribitur. Evidem quam ab illustribus dignitatibus vestris adduxi rationem facile me absoluturam ab audacia mea intelligo, nisi iste animis

mis vestris adhuc resideret scrupulus, quid me hominem conditione vita a militaribus negotiis alienissimum, & in Hisarum non Bollone castris militantem permovebit, ut viris in saga viventibus officia sua definire, & rei ad forum meum minime pertinentis arbitrium involare enitar. Nolim autem hic praejudicare quidpiam militantium dignitati, aut quae ad statum meum non pertinent dissertatione hac exhibere, sed ea tantum, quae ex Jure Nat. & Gentium officia resultant, & militibus ut Hominibus conveniunt. Etenim cum per quinquennium fere moralium Professionem in Julia obtinere jussus sim, id semper pro virili mibi agendum putavi, ut praeter Civilem Jurisprudentiam, quam & olim in patria causarum patrocinia gerendo, & porro in Academia semper excolui, Iura Naturae & Gentium antecessorum meorum instituto sedulo profiterer. Evenit ergo ut Officia hominum in quaunque conditione viventium expendens, ad illa, quae in militari munere occurserent inter alia simul attenderem, & meditatione percepta calamo deinde committerem, donec in Commentationis formam labor excreceret. Quae cum ita sint, VIRI PERILLVSTRES & EXCELLENTISSIMI, VOSque adeo, quae mei sint officii, vel me tacente, facile intelligatis, veniam uti spero mea impetrabit temeritas, quandoquidem nil muneris mibi concreti adversum sed conveniens potius in exhibendis officiis militaribus me pertractasse deprehendetis. Suscipe exilem meditationem Academicam, & permittite, ut eidem tanquam obscuriori sideri a lucidissimo vestrarum dignitatum splendore liceat non nihil mutuari lumines, quo veluti alieno non proprio quod tenui-

nuitas non permittit, radiare, aut jactare se minimum va-
leat. Valete, & diu adhuc aeterno POTENTISSIMI
ELECTORIS, PATRIÆ, ac LITTERA-
RVM bono communibus commodis prospicite. Id quod
humillimo mentis obsequio ex animo vovet

ILLVSTRISS. EXCELLENT.
VESTRARVM

devotissimus cliens

JOHANNES VVILHELMUS
ENGELBRECHT.



§. I.

Natura semper extitit summorum Virorum & priscis & recentioribus temporibus contentio in practicā omni philosophiā exornandā. Ubi per practicam seu acti-
vam philosophiam non qualemcumque intelligimus, verbis utor Celeberrimi Domini Eisenharti in inst. jur. Nat. in proleg. §. 2. edit. secund. de morali in specie doctrinā, quæ, ut Clarissimus Böclerus in commentario ad Hugonis Grotii de jure belli & pacis libros epistola ad lectorem queritur, undecim fere virtutum vocabulis, cum enumera-
tione discrepantium de fine sententiarum, & actionum causis rudi modo expressis absoluitur; sed ea, quæ in Academia Juliæ semper exculta, & à viris doctissimis quasi per manus tradita & ad nostram etatem propagatae sunt. Tantum itaque abest, ut ferendos esse credamus, si qui forte obscuris limitibus coarctare, & pro arbitrio suo definire infruniti admodum amplissima hæc studia, operosius quam par erat, annituntur: ut illis potius jure optimo ignoscendum viris ingenio & doctrina valentibus, qui philosophiam practicam adeo levis armaturæ aut jeju-

A.

nam

nam plane, prout in dictatorum scilicet cerebro enata est,
 risu & cachinnis excipere solent. Explosæ igitur & explo-
 duntur quotidie à cordatioribus futilis illæ & nihil si-
 gnificantes, nataeque in trivio quæstiones , an puer sit
 idoneus auditor Ethices? an reëte Ethica per artem, sci-
 entiam, aut scientiam de prudentia describatur ? an in-
 tra fines librorum Nicomachicorum (quippe quibus à
 male erga hanc doctrinam animatis omnis Moralis sci-
 entia comprehendi perperam creditur) solum subsi-
 stendum sit Moraliū Doctoribus, & quæ ejusdem fa-
 rinæ plures excoxitantur ab imperitis ingeniosæ mi-
 nutiæ. Alia, alia est Academiæ nostræ facies , in qua
 doctrina Moralis non alia disciplina audiit semper,
 auditque , quam quæ ad actiones & officia
 secundum Naturalis & perpetui juris placita attem-
 perata refertur , adeoque Naturale jus tanquam
 partem sui nobilissimam complectitur. Ex his
 facile patescat , quænam practicæ philosophiæ indo-
 les sit, & quid eidem dignitatis accesserit , ex quo ap-
 pellatione veteri, significatione nova, modo juris belli
 ac pacis , nunc jurisprudentiæ universalis , nunc juris
 Nat. & Gent. modo juris publici universalis nomine,
 nunc aliis , & nescio quibus ac grade quid sonantibus
 vocabulis insignitur. Notat sic fatis egregiè istum næ-
 dum unam eandemque hanc disciplinam diversis de-
 nominationibus circumscribendi prælaudatus *Domi-*
nus Eisenhart cit. l. § 1. initio. *Institutiones*, inquit,
Juris Naturæ à me compositæ sunt, cum ægræ ferrem voculas
nonnullorum juvenum , qui studiorum causa ad nos vene-
rant, & desiderabant manuductionem ad Juris Nat. scienti-
am, cuius docende gratia in aliis quibusdam Academiis Pro-
fesso-

fessores specioso titulo essent constituti. Pergit autem §. 3. idem Celeberrimus antea Moralium in hac Academia Professor: *Non enim mihi aliusq[ue] persuadere debui, scientiam juris naturalis esse recens inventum, & nostro demum seculo suam debere originem; cum superba h[oc]c opino innumeris priscæ etatis testimonii possit confutari.* Quicquid autem horum omnium sit, quo cunque demum nomine hanc doctrinam exornare velint, res eodem recidit. Nec nos adeo intercedimus, an cuiquam practicam Philosophiam cognominaturo, vocabulum Philosophiae civilis ac moralis, an juris naturae & gentium, an juris publici universalis, aut jurisprudentiae universalis nomen magis arrideat, modo integer ac illibatus ipsius doctrinæ spacioſus ambitus permaneat. Nobis saltim in praesenti placuit ex campo hoc amplissimo exercitationis Academicæ loco eligere nobile de militantium officiis in castris potissimum & expeditione bellica argumentum, prout in sequentibus plenius ostendetur.

§. II.

Si unquam bellorum flamma Germaniam nostram, quin & Europam universam depascere visa fuit, certe vel jam maxime hujus rei nobis documentum praebet, quando supremos terrarum rectores & liberas gentes pro communi causa cohortes lectissimas & arma totis viribus nunc instruere, nunc decertare invicem conspicimus. Neque adeo alienum me exhibere argumentum videor, aut faciei temporum nostrorum repugnans, quando militari hoc & Martio, ut ita loquar, seculo, genio nonnihil tribuam temporis, & exercitatione Academicæ militantium officia in castris

potissimum & expeditionibus belliis exequar. Minime autem hic constitutum mihi est operam & oleum perdere, ut in explicatione terminorum simplicium, officii videlicet, & vocabuli militantium hæream operosius, quandoquidem ista adamantes ex sententia *Grönveggii tract. de LL. abrogatis ad L. Gracchus 4. ff. ad L. Jul. de adulter.* cum vulpeculâ illâ Æsopicâ vas quidem lambunt sæpius, pultem vero qui intus est, non tangunt. Officium itaque hic nobis denotat actum, qui in specie militantibus pro ratione status sui incumbit. Per militantes autem intelligimus non militem solum gregarium, aut ex fece plebis oriundum, sed & militem Principem & supremum æque ac inferiorem belli-officialem.

§. III.

Neque vero etiam, quando officia militantium pertractamus, ipsum illud jus belli majesticum, aut belli justitiam tam internam quam externam prolixius sumus indagaturi, ne sæpius actum agere videamur, illudque iterum exequi argumentum, quod summum orbis literati decus *Hugo Grotius* in nunquam morituro opere *de jure B. & P. lib.* potissimum *III.* exquisitissimo judicio ac doctrinâ, præ reliquis omnibus, quos impares in hoc labore post se reliquit, hortatu Nicolai Peirescii & suscepit & confecit. Neque ergo animus mihi est, vel jus quod externum Grotius vocat, aut gentium rigorem in res aut personam captivorum, vel æquitatem aut temperamentum hac exercitatione ostendere prolixius, sed ista potissimum ex Naturæ ac Gentium jure delineare officia, quibus supre-

) 5 (

supremi bellorum duces inferioribus, & inferiores vi-
cissim milites illis obstricti esse videntur, eo potissimum
tempore, cum in conspectu hostium vel in castris aut ex-
peditione cum hoste vel configunt, vel proxime eun-
dem opperintur.

§. IV.

Euidem, priusquam ad explicationem officiorum
progrediamur, non inconveniens erit, nobilem quæsti-
onem excutere: An aliquis Christianus salvâ conscientia
miles esse possit? Nemo non videt hanc quæstionem
resolvere se se in istam quæ præcedere debebat. An
detur bellum aliquod justum, an detur bellum Natu-
rali juri non repugnans? Plane autem non dubitave-
rim, dari bellum justum defensivum, dari etiam justam
interdum causam, quare bella fusciantur, quæ à vin-
dicta remotiora sunt. Aliter autem omnino sentiendum
erit, si de bellis disquiratur prout vulgo geruntur,
aut geri solent. Audiamus magni Gentium Doctoris
Hugonis Grotii hac de re querelam. *Videbam, ait, vel*
barbaris gentibus pudendam bellandi licentiam: levibus aut
nullis de causis ad arma procurri, quibus semel sumtis,
nullam jam divini, nullam humani juris reverentiam, plane
quasi uno edito ad omnia sclera emissio furore vid. in
proleg. de J. B. & P. §. 28. quæ quidem cum hoc modo
se habeant, ita tamen etiam persiussum, in re tantimo-
menti & Principum ac supremorum dominorum ac
imperantium negotiis moderate sentiendum esse. Ne-
mo, licet Lynceo videatur oculatior, temere de bellis,
aut causis bellorum, quæ ab iis geruntur, privatus
curiosius judicare, aut illustrium controversiarum quæ

A 5

armis

armis deciduntur, arbitrium proterve involare audeat. Præterquam enim quod prudentioribus hoc periculose admodum videatur: ita & absurditatis notam vix effugient tales, qui res examinare cupiunt solis terrarum Dominis, & Sanctiori illorum consilio perspectas, & quarum soli populorum Rectores Summo Numini aliquando rationem fuit reddituri. Nobis qui solo illorum subjecti degimus, sola parendi gloria relicta est, adeoque modesto silentio Principum negotia veneremur, & ne quidem nisi maxima cum reverentia de ipsorum fastigio cogitemus.

§. V.

Interea, bella quod attinet, dissimulandum minime erit, dudum conqueri prudentiores, cum maxima injustitia tantam sanguinis effusionem conjunctam esse, prout Erasmus Roterodamus peculiari Dissertatione de Bello minime bello prolixius hoc argumentum exequitur, ubi tamen ex sententia Grotii Erasmus eo consilio huic dogmati accedit, quo solemus (verba sunt Grotii) quæ in unam partem, exierunt, in alteram reflextæ, ut in verum modum redeant, in Proleg. ad opus de I. B. & P. §. 29. Jungatur Theologus summus nostræ Ecclesiæ cum Grotio faciens, summe Venerabilis B. Abbas Riddagsf. Brandanus Dætrius: Praef. ad jam dictam Erasm. diff. Quædam, inquit, fortassis demi debere jure quis censcat, dum luxuriantे stylō nimis liberaliter bellum omne dannat. Non enim bellis omnino interdictum esse Christianis, & à Principibus quoque bellum geri salva conscientiâ posse certum est, nec quisquam recte sentientium Theologorum ea de re dubitat. Immania illa, quæ bellum se-

sequuntur jam olim exclamare coegerunt D. Cyprianum | Carthaginem Episcopum lib. 2. Ep. 2. gravissimis verbis : *Madet orbis mutuo sanguine, & homicidium cum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, eum publice geritur. Impunitatem sceleribus acquirit non innocentiae ratio sed sevitiae magnitudo.* Ita Theologus doctus in præfatione citato libello Erasmi præmissa, in qua plenius suam quoque sententiam exponit, salva tamen semper relata communi circa bellandi excessum querela. Egregie hanc in rem Försterus in notis ad Tacitum p. 45. *Quemadmodum caloris vi non modo siccata, verum etiam quæ in propinquo sunt, humida, absuntur, ita bella, etiam quæ justa causâ suscipiuntur, nefanda quæque opera, cedes, supra, sacrilegia secum trahunt. Nemo Martem ita in potestate habet, ut nusquam exorbitet. Nulla Ducis prudentia, nulla industria, nulla severitas tanta unquam fuit, quæ hoc potuerit efficere, ut quod natura noxiun est, fieret innoxium. Ubi tantum armorum corporumque sub signis stabit, quis cruori legem dabit, unde & quantus fluat? Ad ista facino, & qui sponte provolat, nullam illorum à justo Deo potest sperare veniam. &c. Verba profecto, quæ à bellando unumquemque merito abstergere debebant; add. Hug. Grot. de jure B. & P. lib. 3. cap. ult. nequaquam tamen exinde infertur, bellum nunquam esse licitum, quicquid etiam locus de non effundendo sanguine, aliaque incongrue cumulentur, cum ibi solum effusio sanguinis dolosa & proeretica, quæ ex vindicta privata proficisciatur, interdicatur. v. Pidot dans la Morale Chretienne, Tom. 8. c. 16. du devoirs des ho-*

hommes de Guerre p. 207. Errant itaque oppido multum, qui simpliciter bellum Naturali juri adversum esse crepant, cum ipse Deus leges militares quondam populo dederit Israëlitico *Deut. 20. v. 10. 15.* Absonum autem foret statuere, omne bellum interdictum esse, cum Deus ne sic quidem populo suo permittere, nec militares leges condere, nec mandare bellum potuerit. Etenim quicquid in se ac Naturali lege inhonestum est, lex Divina nunquam permittit, multo minus mandat.

§. VI.

His suppositis, vel me tacente, quilibet facile intelligit, quid de conditione & statu hominis militiam sequentis judicari possit. Scilicet, cum justè interdum arma fuscipientur, nec militis quoque statum quis temere damnare poterit. Nec est, quod quisquam à corruptione hujus status ad ipsam prohibitionem ejusdem provocet, cum nihil exinde efficiatur, & propter abusum ordo universus non sit tollendus. Dicis autem, quomodo in ejusmodi genere vitæ quis divinæ gratiæ particeps esse, aut fieri possit, ubi impudicitia, ebrietas, furta, rapinæ, rixæ, contentiones, & reliqua vitia, quæ comitari solent homines, sedem quasi & constans receptaculum sibi fixere. At vero, sunt hæc vitia hominum, non status universi, & si forte, quod negandum non est, talia irrepserint, per bonam tamen disciplinam, sicut & reliqui status per Dei gratiam emendantur. In omni hominum statu satis dominatur corruptio, & nullibi in his terris, nec inter ipsos qui se perfectissimos credunt, Angelum repieres. Instant porro: Difficillimum tamen esse in ejusmodi statu bonam agere vitam,

vitam , & Naturæ leges ac divinas implere , ubi tot peccatorum exempla , tot vitiorum occasiones sese offerant , & fieri aliter non posse , quin vel momentis singulis peccatis Te contamines . Evidem prout supra monui , minime diffiteor maxima vitia apud milites hodie in mores abiisse , & turpe censeri militi non esse flagitiosum : corrigi tamen ista per meliorem disciplinam possunt , imprimis si ipsi supremi officiales bono militibus exemplo præluceant , adeo ut frustra vulgo objiciatur , in castris pietati locum esse non posse , virtutæque militaris genium non alias admittere mores quam turpes & flagitosos . vid . Dn . Buddeus Diff . de Off . Imp . circa Conscr . Milit . § . 8 .

§ . VII .

Esse autem difficilius in militia bene vivere quam in alio statu , suo modo veritate nititur , & forte haud negabitur : nihil tamen inde status militaris dignitati decedit , quin imo si de meritis actionum moralium statuendum est , notum apud Doctores Moralia : actionem bonam eo ampliorem laudem & gloriam consequi , quo major difficultas eandem perficiendi comitabatur . Difficilia pulchra sunt , & ex duris gloria emergit . Quid quod ? Modo disciplina militaris recte excolatur milesque bonis initietur vivendi ac probitatis principiis , crediderim equidem cum illustri Domino Seckendorfio , facilius in hoc statu quam in aliis esse bonum civem & Christianum . Notatu dignissima sunt , quæ jam laudatus *illustris autor im Christenstaat 2 . s . s .* adducit , quæ quidem hoc loco exhibere tanquam maxime necessaria placet : Hieraus

B erscheint

erscheinet / dass der Grund des Christenthums / und
 Absehen auf die wahre Glückseligkeit / das Haupt-
 Mittel sey / worauf die Besserung des Kriege-Stan-
 des beruhe / und also diejenigen ganz irren / welche
 meynen / dass die Gottesfurcht und Christliche Zucht
 hieran hinderlich sey / und ein Soldat / wie sie reden/
 sich nicht wie eine Nonne halten / oder ein Christlich
 Leben führen / sein Amt wol verrichten / mit Ehren
 sich dabei nehren / und gutes Gewissen behalten kön-
 ne : Vielmehr scheinet leichter bey dem Kriege die
 disciplin nicht allein in militärischen / oder Commando-
 Sachen / sondern auch in Vermeidunge der Laster zu
 bestreiten / weil man soviel Befehlhaber oder Officirer
 hat / und die Knechte bensammen halten kan / auch
 ohne grosse Weitläufigkeit um proces zur Strafe
 schreitet / da hingegen in Städten und Dörffern der
 Aufseher allzuwenig sind / und die Leute hie und da
 ihrer Nahrungen nach zerstreuet leben &c. Jung. illustr.
Dominus de Wartenberg in libro qui paterna Instructio inscri-
bitur cap. 36. Welcher Gestalt meine Söhne dem Kriege
 folgen sollen / ut & Cl. Neocastellensium Eccles. Mini-
 ster, *Dominus Osterwald in libro gallice scripto, de la sour-*
ce de corruption qui regne aujourd' hui parmi les Chretiens,
L. I. c. 9. p. 255. Legi hic etiam omnino meretur *Do-*
minus Job. Georg. Simon in Dissertatione de justitia hom.
circa sua membra , judiciose quæstionem decidens , an
homo salva conscientia militare possit? dij. Dissert. c. 3. §. 3.
ubi videtur dissentire a Domino Brummanno ad L. 3.
ff. ad L. Aquil. dicente , neminem plane posse salvacon-
scientia vitam periculo exponere. Ita autem D. Simon;
Verum quia hæc ratio generalis hic non applicari potest, in-
primis

primis ubi bellum est justum, in quo tam offensio, quam defensio est licita, per quas vita non in minimum deducitur periculum, sequitur omnino, quod homo se militiae ejus, qui justam fovet causam, addicere possit. Ubi tamen & de militibus superioris Ordinis hoc monet, illos non aliter salva conscientia militare posse, nisi justitiam belli benè consideraverint, eisque causam examinaverint. Quod quidem de illis admitto, quoad inferioris autem ordinis milites ita concludo, hos non teneri causas justitiae excutere, si sui Principis militiae se addicant, ac credant bellum hoc esse justum, cum ejusmodi hominibus sufficiens pro justitiâ belli argumentum esse possit, quod publica auctoritate geratur, uti hoc ostendit *Francisc. de Victoria Relect. de jure Belli n.25. pag. 285.* Quid autem si miles dubius sit de justitiâ bellî? Tum potius credere debet Principem suum optimam fovere causam, cum boni sit civis officium, optimè semper & quam sanctissime de Principe suo sentire. v. tamen *Grot. de J.B. § 5 P. c.26. §. 4.* ubi quer. an in tali casu Principi officia militiae exigenti parendum?

§. IIX.

Stare itaque hæc nobis immoto tali sententia videtur, bona aliquem conscientia sequi militiam, & dari posse bonum militem & simul bonum Christianum. Deum etiam Ter Optimum justæ armorum causæ benedicere vel recentiores victoriæ ad Danubium à Gallis reportatae commonstrant, quantumvis eædem pretioso admodum Serenissimorum quorundam Principum sanguine fuerint redemptæ, cuius illa ad Schellenbergam parta victoria documentum nobis præbet, quæ Serenissimum Wolffenbüttelensis Do-

B 2

mus

mus Principem AUGUSTUM FERDINANDUM, Heroem incomparabilem, in ætate florentissimâ maximo totius Germaniae luctu abstulit. Interea tamen & hic & reliqui Principes, qui taliter occubuerent, in perpetuam gloriam vivere intelliguntur, & militibus animum addunt, ac fortitudinem quasi magis acuunt, cum ipsi animam pro sociis ponere non dubitent, à quorum incolumente omnium subditorum spiritus ducitur.

§. IX.

Nunc ad ipsum institutum nostrum militantium videlicet officia transeundum nobis est, ubi eadem dispesci video in illa quæ communia omnibus sunt, & æque imperantibus ac parentibus Nat. & Gentium jure præscripta, ac illa quæ specialia & hypothetica vocantur. Communia autem consistunt in fortitudine & animi magnitudine cum clementia tamen & mansuetudine attemperatâ. Evidem novi, sicuti alibi ita & in bello fortunam multum dominari, & bellorum omnium incertam esse aleam, dubium eventum: tantum vero abest, ut crediderim à timido, audaci, aut crudeli milite egregii quidpiam præstari posse, ut potius nescio quæ mala hominum generi ab hujus farinæ bellatoribus sint pertimescenda. Fortitudo itaque vera & heroë digna commendanda militibus est, quæ & difficultia magno animo aggreditur, nec in rebus desperatis & maximis periculis constantiam & perseverandi cupiditatem amittit. Egregie Curtius: *Fortium virorum est magis mortem contemnere quam odire vitam. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non impigrè ire satis est.*

§. X.

Cum autem ad specialiora paulum officiorum genera nostrum institutum potissimum spectet , hypothetica nunc quidem paucis considerabimus , quorum potiorem partem illis absolvvi video , quæ à supremis belli Ducibus primum populo quocum colliduntur bellis , illique vel certanti adhuc vel devicto præstanta sunt , deinde etiam suis militibus , quorum opera in expeditione utuntur . Alteram autem partem officiorum à militibus item Ducibus suis exhibendam arbitror , cum respectus hic , ceu ex correlatorum natura patet , mutuus sit , nec ipsa officia haec amicè conspirantia ab invicem separari possint . Hic quidem quoad Belli Ducum officia erga populos quibuscum dimitcant , amplissimus fese offerret campus multa illaque satis egregia notandi , quomodo itidem hac ex parte quam gravissimè peccetur : at vero cum & hic illustrem Grotium omne tulisse punctum animadvertam , quippe qui hanc gentium justitiam magna cum gloriâ excusfit , in præsentiarum quidem velut in transitu pauca solum nobis attinguenda sunt , reliquam meditationem officiis Ducum & militum reciprocis impertituris in castris potissimum & expeditione militari .

Maximam sane & rationis reddendæ plenissimam provinciam sustinent Belli Duces à superioribus constituti , qui hodie sub vocabulo si terra militatur Generales , si mari Admirallii veniunt . Ac de Generibus quidem & summis Belli Ducibus notandum in Imperio nostro soli Imperatori non esse facultatem declarandi aliquem Generalem belli Ducem ; sed illud

ipsum quoque fieri & fieri debere communi ordinum suffragio. Ita Albertus Comes Palatinus Rheni, & utriusque Bavariae Dux anno 1500. Imperatoris, Elektorum ac Ducum consensu generalis ac summus belli Dux creatus est. N. A. des Reichstages zu Augspurg anno 1500. tit. 51. So ist der Hochgebohrne Fürst Albrecht Pfalzgraff beym Reiu/und Herzog in Ober- und Nieder-Bayren / unser lieber Schwager / von dieser Versammlunge / zu einen gemeinen Hauptmann des heiligen Reichs erwehlet. Et quanvis à nonnullis causis adducantur, ubi constitutio Ducis summi militaris ab ordinibus libera voluntate interdum Cæsari sub certis conditionibus fuerit concessa, cuius concessionis & exemplum allegat B. Conringius de anno 1541. & 1552. v. & Recess. de anno 1557. Respondet tamen idem cit. Conringius, id ordinum juri præjudicare minime posse. Non enim, inquit, consequens videatur: quia tum ipsi hæc potestas ab ordinibus est relata, hodie quoque sine speciali Principum concessione hoc jus ipsi competere. Contrarium potius fit verisimile, quia olim expresso consensu ordinum hæc potestas Imperatori concessa, idem adhuc fieri debere, vid. Conring. Ex. de negotiis conventuum Imp. §. 87. Electi autem Duces probe secum ponderare debent, non unius sed multorum millium directionem ac salutem ab illis pendere. Præterea cogitent mandata principis maxima cum veneratione fuscipienda, & executioni cum circumspetione tradenda esse. Quare sive educere ad prælium suos, sive obsidere urbem hostilem, sive fortalitium aut castellum defendere jubentur, probe meminerint mandati sui, ac secundum illud & suas actiones & militum moderentur.

Vid.

Vid. Dissert. Job. Joachimi Schäppferi Jure Consulti Rostochiensum celeberrimi de officio praefecti castelli ad extrema obligati, der sich wehren soll bis auf den letzten Mann / oder bis auf den letzten Bluts-Tropfen.
Egregie hic vir CL. varios casus notat, quibus officia Ducis tam ante quam in obsidione, ut & traditionis tempore & ad extremam eversionem obligati applicantur & determinantur, quare ad illam omnino me remitto. Ac primo quidem, antequam incerti belli dubium eventus aleæ manum suam committat belli Dux, omnium prudentum suas consultare tenetur de mitioribus remediis, ubi tentandum erit colloquium, (non autem ab ipso Duce, quod tanquam periculosum dissuadetur à prudentioribus) arbitrium, amicabilis compositio &c. Id quod naturali judiciorum quoque ordini valde congruum videtur in decidendis controversiis privatorum. Quare igitur idem in publicis controversiis non obtinere debeat, quandoquidem, si res ex eventu accidat, multa hominum millia belli Dux eatentis Reipubl. suæ saepius lucrabitur. Monendum autem hic erit, talia colloquia durante bello interdum urgeri ab hoste, non alio fine, quam ut interea temporis vires suas magis augeat, & ad bellandum se eo melius instruat. In his itaque & similibus casibus cauta & prudenti circumspectione opus erit, ne hostium fraudibus & deceptioni exponatur.

§. XII.

Tentata compositione amicabili, non obtenta autem ad fortiora remedia sopiaudæ litis Duces progredi solent. Devenitur quippe ad bellum, ad pugna, ad

præ-

prælia. Circa prælium observandum est Duci, ut arte omnia præcox consilium, si prælium sit committendum, vitet, nec rem tanti momenti temere periclitetur. In cuncta igitur hostium conamina diligenter ante inquirat, mores hostium, naturam, ingenium, numerum, locum, quæ ipsi quantum fieri potest, ac propria cognita esse debent. Quod Q. Fabium saititasse testis est Cato Major, qui cunctatione sua, & maturis consiliis id effecit, ut Annibal, qui tribus jam præliis Romanorum vicit exstiterat, armis Romanorum ha-
stenus invictus, desidiâ & luxurie se ipsum frangeret. *Cic. in Catone Maj.* ubi autem belli Imperator omnia hæc circumspetæ ac diligenter curavit, si prælium committere è re esse videbitur, alacriter pergendum est. Hoc multis fortium herorum exemplis compro-
bari posset, de quo *Hippolitus à Collibus in Principe suo cap. 20.* Evidem gentium jure externo multa per-
mittuntur indirecte, quæ alias directe non licerent, &
fatendum est, non ita ad vivum omnia resecari posse in
tanta animorum excandescenscia, in tanto militantium
fervore ac æstu. Erit tamen & belli Ducum officium,
quantum fieri potest omni cura providere, ne nimis sæ-
viat ferri libido, & quantum fieri potest imbecillibus
& innocentibus parcatur. Ita e. g. senes, foeminas,
infantes promiscuè interficere, aut captivis insultare
durissimum videtur, quales occisiones & violationes
omni curâ avertendæ. *Grot. de J. B. & B. lib. 3. c. II.*
ubi temperamentum circa jus interficiendi in bello ju-
sto exhibit. Egregium sane singularis clementiæ e-
xemplum de Alexandro magno in captivam Syrigam-
bim

bim & captivas Darii filias notat Q. Curtius, quando ita
ait: *Virgines regias excellentis forme tam sancte habuit,*
quam si eodem quo ipse Parente genitae forent: Conjugem e-
jusdem, quam nulla etatis sue pulchritudine corporis vi-
cit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam,
ne quis captivo corpori inluderet, v. cit. Curtius lib. 3.
c. 12. Huc etiam spectant rapinæ & spoliationes, exor-
bitantes nimium combustiones possessionum innocentis,
crudelissima itidem captorum martyria, cum ta-
men hic quam maxime obtinere debeat vulgatum illud:
Afflito non esse addendum novam afflictionem. Ipsum
vero tempus rapinæ communiter articulis militaribus
solet esse sub gravissimæ poenæ comminatione præ-
scriptum, ita ut non quovis tempore præda militibus
permittatur. Hinc im Fürstl. Br. Lüneb. Krie-
ges-Recht art. 48. non nisi fugatis hostibus castra aut
loca occupata prædæ subjiciuntur, ita enim eodem
hoc jure cit. artic. dispositum invenimus: So soll sich
doch keiner der Estandarten und Fahnen anmassen/noch
des Beute-machens und Plünderns gebrauchen / es
sey dann gedachte Parthen gänzlich geschlagen / und
er habe von seinen vorgesetzten Officirern permission
erlanget. Wer davider handelt/ der mag ohne eini-
ges Bedenken von seinen Officirern und Commen-
danten niedergemachet/oder/da solches nicht geschiehet/
uns auch kein Schade dadurch zugefüget wäre / für
Recht gestellet/und nach Verbrechen gestraft werden.
jung. etiam §. 49. ejusd. Ordin. Milit. Hic addendum,
quoad acquisitionem prædæ hodie passim usurpari, ut
in direptionibus oppidorum & præliis suum quisque

C

faciat

faciat quod cepit : in excursionibus vero capta communia fieri eorum qui in comitatu sunt , inter ipsos pro dignitatis ratione partienda. Grot. de Jur. B. & Pac. lib. 3. c. 6. §. 24. n. 8. & Kulpis ibi in Colleg. Grotian. Vi- triarius ministr. Jur. Nat. & Gent. lib. 3. c. 6. q. 13.

§. XIII.

Quemadmodum autem supremis belli Ducibus durante confictu regulæ humanitatis nunquam seponendæ, quia & permanente belli statu, licet arma interdum , prout tempore induciarum contingit , vacationem nanciscantur, fides , paœta & conventa cum hoste sanctissimæ servanda : ita & omnino , si ab armis discessum est, via & storiaque ab ipsorum parte steterit, provideant, ne eadem abutantur, aut in hostem superatum insolentes aut superbi sint, vel in dedititios, soſich auf Gnade und Ungnade ergeben haben / crudeles. Hoc loco incidit quæſtio ? An non hostilia quævis in hostem omni omnino tempore, quam diu scilicet in tali statu manet, liceant ? quæ hunc in modum à nobis deciditur. De stricto ac Gentium jure externo nullum ea de re dubium videri , quandoquidem omne malum illudque atrocissimum ab hoste mihi pertimescendum. Quod autem jus internum & Nat. Jur. æquitatem attinet , semper humanitatis, ac communis etiam cum gentibus barbaris cognitionis memores esse debemus , & perpetuo menti nostræ obverſetur : hostem quidem esse & inimicum quocum conſigimus, esse tamen hominem , esse universalis hominum societatis membrum , esse concivem universi. Hoste igitur ad incitas redacto , mediisque nocendi pri-

privato, non sine crudelitatis nota ultra nocere aut affigere eundem ultimis malis pergitus, imprimis prout dictum, si supplex est, & vires nobis nocendi in posterum ipsi sint amputatae. Sapientes porro pacis causa bellum gerunt, & laborem spe otii sustentant. Si hoc obtineat vicit, & injuria licentiam adimat hosti, cætera est, ut remittantur ex misericordia. In publico autem periculo, quæ modum excedit securitas, immisericordia est. *Grot. d. lib. 3. c. 15. §. 2.* Hæc itaque sit ratio vincendi, ut misericordiâ & liberalitate nos muniamus.

§. XIV.

Proximum est, ut & consideremus obligationem ac officiorum nexum inter belli Duces ac milites, qui ipsorum ductu in castris & expeditionibus sunt constituti. Non ultimum igitur officiū & in Duce laudandum venit, si præter religionem erga Deum virtutem quoq; atque prudentiam suis probet, bonoque militibus exemplo præfulgeat. Dici enim non potest, quanto pere animare possit hanc turbam bonus imperator, scuti contraria tanto conspectius crimen esse solet, quanto major qui peccat habetur. Quare nitidissimus vitæ Ludovici Bavari scriptor *Nicolaus Burgundius Hist. lib. 3.* ita de peccatis superiorum loquitur: *Quicquid delinquent fastigia, exemplo diffunditur, & suis moribus multitudinem inquinant.* Unde quantumvis sententia hæc porticum redolere videatur, merito dixerim solum sapientem esse militem. Imprimis autem sapientia talis conspicua est in belli duce, qui præter religionem erga Deum solido fortitudinis & virtutis exemplo suis milibus

litibus se probat. Quid enim boni exspectaveris à Duce omnibus vitiis contaminato, libidinoso, intemperante, ambitioso, avaro, crudeli, superbo, irreligioso? Sane similes habebimus milites, nec Dux bellicus sic satis libere à vitiis dehortari, aut cum fruge emendare poterit, cum ipse adhuc ab humanitatis statu quam longissime absit, adeoque merito tritum illud ad Ducem spectet: Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet.

§. XV.

Quemadmodum itaque multum proficit ac prodest vitâ suâ ac exemplo belli Dux, ita & provideat, ut miles quoque officio suo debito modo defungatur. Et cum labor noster ad officia militantium in expeditione bellica potissimum spectet, dicens aut ducaturus suos in prælium, religionem erga Deum præcipue commendet. Maximus sanè hic rei militaris nævus est, quando ita incuriosi sunt animarum, quæ ipsis commissæ sunt belli Duces, ut neque salutis terrenæ, neque æternæ cura tangantur. Hinc metuendum omnino est, ne plerique & animæ & vitæ jacturam faciant, dum in prælio pereunt. Prospiciant itaque ea- tenus animabus militum imperantes, eosque erudiri curent in pietate & Numinis cultu, siquidem prælium ingressi, nec per horam, nec per momentum vitæ sibi ulterioris spacium polliceri milites possint. Egressi alioqui in prælia, nullo animæ præsidio aut viatico muniti, miserrime procumbent tanquam diaboli victimæ, & sane hasce animas, quæ pereunt Ductorum culpa, ab illorum aliquando manibus Deus Ter Optimus reposet.

§. XVI.

Optime autem scopum suum ad domandam & in officio continendam turbam obtinebunt supremi militantes, si cum prudenti tamen lenitate & moderatione temperant disciplinam militarem. Laudatur disciplinæ tenacissimus Imperator Alexander Severus, qui, cum adversus Artaxerxem Persarum regem, qui Artabano Parthico regno exuto, & ad Peras potestate translata, Syriæ imminebat, expeditionem susciperet, in eâ disciplinam militarem strenue exercuit, raptores milites castigans dicebat: Visne hoc in agro tuo fieri quod alteri facis? clamabatque saepe, quod à Christianis audierat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Non modica autem pars disciplinæ militaris in mandatis accurate obsequendis consistit. Igitur cum apud Cæfarem de bell. Gallic. 7. 52. milites à pugnando desistere jussi, ardore certaminis & spe victoriae longius progrederentur, merito ob licentiam arrogantiamque reprehensi sunt, quod plus se quam Imperatorem, de Victoria atque exitu rerum sentire existimassent. Ex diverso laudem meritus est a Cæfare lib. 3. de B. C. c. 5. Sulla, quod suos hostes longius, quam præceptum erat, insequentes revocavit. vid. Boëcler. de Relig. Mandati. Anno 1588. celebris illius cladis, qua immanis Hispanorum classis ab Anglis multata est, causam aliquam in Sidonium classi præfectum nonnulli contulere, quasi nimia obedientia, ne mandatorum regis religionem violaret, occasionem opprimendæ in portu hostilis classis elabita manibus passus esset. Sed excusabant præfectum plerique prudentes, qui regem tenacem esse eorum quæ

C 3

man-

mandasset, meminerant; & exemplum *Johannis Austriae*, qui quamvis victor & frater regis, tamen post illustrem illam victoriam navalem, haud parum accusatus fuerat, quod contra quam ei imperatum fuisse à rege, prælum commisisset, dubiamque fortunæ aleam tentasset; laudatis in eo consilio Manlianis Postumianisque exemplis. Memorat uberiorius *Famianus Strada dec.*
II.lib. 10. Inter ea quod mandata attinet, & illa maximè, quæ interdum ad implorationem belli ducum à Supremis belligerantibus superveniunt non adeo rigidam in iis esse disciplinam militarem, nec esse debere multis vel recentioribus etiam maximorum belli Ducum exemplis comprobari posset, nisi unicum illud Summi Triumphantoris in fatali Turcarum apud Centā A. 1697. clade instar omnium sufficeret, ubi propter imminentem hostium numerum interclusus Princeps Serenissimus tum summus Generalis mandata invictissimi Cæsar, nunc gloriose memoriae, LEOPOLDI expectare non potuit. Sed ab exemplis hisce ad ipsam disciplinam militarem revertimur. Disciplina præcipue respicit
 1. Delectum, 2. Castra & hospitium militum, 3. Militum actiones, 4. Arma, 5. Annonam, 6. Vestem, 7. Delicta & poenas &c. Quemadmodum circa jam enumerata bonus imperator disciplinam exerceat necesse est, (quæ singula ut in specie exponamus prolixius, commentationis ratio non permittit) ita quā maximè inordinatum militem poenis compescat, præcipue si ipso expeditionis aut prælui subeundi tempore, vel communia vel propria militis delicta committat. Proprium autem militare delictum est, quod quis uti miles admittit, aliter faciendo, quam militaris requirit disciplina. L. 6. ff. de Re
 mi-

milit. Communia delicta sunt, quæ & in paganos cadunt, ut homicidium, adulterium, furtum. Propria sunt: Seditio, proditio, desertio, contumacia, & alia contra fidem & officium admissa. Hæc autem delicta propria & ex legibus Romanis & nostris Ordinationibus militaribus, quam poenam mereantur, satis superque apparet. Ita in authores seditionis in primis graviter animadversum fuit, hinc Modestinus L.3. §.19. 20. ff. de Re milit. Qui seditionem atrocem militum concitaverit, capite punitur, si intra vociferationem, aut levem querelam sedatio mota sit, tum gradu militæ dejicitur. Aliud etiam in tali seditione hac eadem lege §. 21. JCtus exhibet scilicet avocationem à militiâ. In desertores poena legibus Romanis pro circumstantiis varia, & iretata desertio capite puniri solet, si scilicet in urbe miles desertor non reperiatur, jung. Fürstl. Braunschw. Lüneb. Krieges-Recht tit. 9. artic. 37. 38. 39. von Überläuffern/Feldflüchtigen und Ausreißern/ ubi in desertores poena suspendii constituta est. Add. tit. anteced. artic. 36. ibique modus puniendi, si integræ centuriæ aut legiones cum officialibus suis deseruerint. Transfugæ capite puniuntur: l.7. l.5. §.8. ff. de re militar. datur autem illis venia si resipuerint, & insignibus factis demeruerint. De poena desertionis & emansionis sine commeatu v. Räyser's Maxim. 2. Artickels-Brieff art. II. Alia sunt delicta militum contra fidem & officia commissa, veluti segnitiae crimen, vel contumaciæ, vel desidiae, qui stationis munus relinquit, miles qui in bello arma amisit, qui in acie prior fugam fecit spectantibus militibus, hic propter exemplum capite puniendus est l.14. §. 1. ff. de re milit. Qui mandata Ducis non servavit, etiam si

etiam si res bene cesserit, desertorē 3. §. 15 ff. cit tit. ad quam leg. pluribus vid. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 18. Hæc autem delicta illorumq; poenæ in Ordinationibus militaribus plenius determinantur, quantumvis jam tum & Jura Gentium talibus delictis ante omnem legem civilem poenam dictent, poenæ autem quantitatatem non eodem modo determinent. Bene hic considerent Duces bellorum, ne prout antea monui, nimis rigorosi poenarum executores sint sane in delictis minoribus. Optime monet B. Brunnemannus ad L. 3. ff. de re milit. Sæpe, inquit, peccatur in bellis, propter unam militis vocem panis, pecunia, abrepti ad supplicium. Scio exemplum Tribuni a damnato milite ad judicium divinum citati, qui statu die cum transiret equo pontem ex navibus constructum, dissoluto ponte, misere perit in flumine. Nam & milites gregarii homines sunt à Christo redempti, quorum sanguinem innocentem vindicat Deus, si homines non vindicent. Hæc Brunne-mannus Ictus doctus, prudens, ac pius. Nisi probe hæc obseruant belli duces, & eatenus disciplinam suam non attemperant, dum semper reputant hominibus sese imperare, non disciplina erit vocanda illorum coercitio, sed ferina potius, quin & diabolica crudelitas.

§. XVII.

Progradimur ad aliud officium belli ducum, quod ipsis erga milites in expeditionibus maxime constitutos cum cura observandum est, & in exactâ stipendiorum solutione consistit. Communis vulgo militum querela esse solet, laboris & operæ multum, parum autem præmiorum ipsis expectandum, quid quod? & de-negari

negari stipendia debita, quæ tamen cum ipsius vitæ & interitus periculo moleste admodū mereantur. Dolendum est cogi militem durissimis modis ad subeundam militiam minis, plagis, & vulneribus, & optimum illum modum apud Romanos usitatissimum nostris moribus abiisse in desuetudinem, ita ut vix in tanta hominū quotidiana occisione videatur superesse remedium, quo huic conscriptioni violentæ succurrere possimus. Istud autem perquam durissimum, quando in ipso bellorum astu & in mediis periculis degentibus denegantur necessaria vitæ præsidia, ut siti & fame plures sæpius quam ferro enecentur. Non hic in causam hujus mali inquiram, sed hodiernam potius collaudabo Principum Germaniae providentiam, qui magis ac magis festio & fracto militi omnibus modis suppétias ferre, & stipendia exhibere lautissima satagunt. Arcanum hoc instillare videtur animis belli Ducum & Supremorum officialium Max. Reverendus Dominus Buddeus, quando de stipendiiorum denegatione ita scribit: *Duplici omnino eoque gravissimo scelere se obstrin-gunt, qui erga milites ita se gerunt. Primo enim justitiae ipsi migrant leges, denegando, quæ ex parti lege præstare militibus debebant. Deinde cum veluti necessitatem quandam furandi militibus imponint, ejusmodi delictorum in se quoque omnino derivant reatum atque pœnam.* Taceo, quod contra prudentiam quoque peccent, eo quod, nisi accurate solvantur stipendia, disciplina militaris consistere nequeat: bac autem prostigata, felix bellorum sperari potest nullo modo eventus. in *Dissert. Politico-Juris Natur. de Offic. Imp. circa conscrib. militem §. 7.* Videntur huc

D

etiam

etiam spectare , quæ adducit *Illustris Dominus à Löhneys in der Hoff-Staats- und Regier-Kunst/ ibique l. 3. von Bestellunge des Kriegs - Rahts/ cap. 43. § 44.* ubi nævos supremorum officialium taxat, eosque à varii generis avaritia dehortatur. Quemadmodum autem Duces belli , ut stipendia solvantur, providere debent ; ita & milites jubentur contenti esse speciebus , quæ in unaquaque regione inveniuntur, *L. unic. C. de Salgam. hoff. præb. Nov. 130. c. 2.* At si militi non præstentur stipendia , vi extorquere , aut facto auferre, aut quicquam à Provincialibus exigere , & luxuriose perdere non poterunt ; non enim militia, quæ ad tutandam provinciam parata est , ad injuriam subditotum abuti fas est. *vid. Novissima Cœf. Maj. & Imp. Ordin. circa Equitatum. § 90. & seqq. Käyfers Maxim. Articul. Brieff 10. § 52.* De annona militari *vid. Claudius Cortereus de jur. milit. lib. 1. c. 30. & seqq. Tholosanus in Syntag. Jur. uni-vers. l. 19. c. 6.* Altius hæc & accuratius, si quis inquirere desideret , Puteani adeat doctissimum *de militari stipendio Syntagma*, ubi singula demonstrata inveniet , originem , augmenti tempora, & refutatos aliorum errores.

§. XVIII.

Ordinatis ita stipendiis ad expeditiones & prælia revertimur, ubi Dux admonetur , ne nimis & non necessariis periculis milites suos exponat , sed minimum potius , quantum fieri potest , sanguinis effundat. Evidenter novi ad conservationem civitatum necessarium fuisse, ut summum imperium aliquam in vitam ci-vium haberet potestatem , quorsum etiam referuntur multo

multo magis milites conscripti , utpote in quortum vitam laxior adhuc potestas compete . e videtur : Unde & porro consequitur , illum , qui ad militiam subeundam obligatur , utique teneri iussu Ducis talem tueri stationem , in qua probabiliter videt vitam sibi amittendam , adeoque penes Duce m esse , eligere aptissimos , aut si plures sint idonei , quos visum fuerit , periculosa ejusmodi stationem occupare . *Dominus a Pufendorf. de J. N. & G. lib. 8. c. 2. §. 4.* Ubi tamen probe tenendum erit , non abutendum summo Imperanti ista potestate , licet vel maximè miles sit mercenarius , cum æque huic ac militi ex civibus lecto vita ac salus cara sit , licet non eodem ipsi fortunarum pretio constet . Inde cum statio periculosa militi committitur , observandum cum juris Gentium Doctoribus , ejusmodi jussorum non esse hanc intentionem , aut saltem non esse debere , ut directè vita militis perdatur , prout recte notat *citat. Dmvs. Pufendorf.* Dico non esse debere . Nam aliquando hic à Ducibus peccari , documento est rex David , *2. Samuel. II. 15.* qui ideo etiam homicida audit , *d. I. c. 12. 9.* Nec ea infrequens ars invisos sibi hostium ferro conficiendos objicere , *v. Curt. 17. 2. Polybius lib. 1. c. 9.* *Diodorus Sicul. lib. 14. c. 73. 19. 48.* *Iustin. lib. 12. c. 5. n. 8.* & alii . Sint itaque Supremi belli Ducis iussa non iniqua , neque spectantia ad militum interitum , sed vel in acie ipsa ac prælio prudentiâ ab bonitate temperentur . Illud quidem certum est , cum arma armis pulsant , & mucrones in ora diriguntur , non adeò accuratè hæc observari posse , cum æquè belli Ducum ac militum vita sine discrimine hic impetratur : attamen dependet omnino

D 2

à pru-

à prudentia belli Ducis prospicere, quid futurum sit, antequam ad extrema ejusmodi deveniatur. Dispositio autem ipsius exercitus, tam cominode hodie, ubi ars militaris ad maximum culmen adscendit, ab imperatore fieri potest, ut equidem merito dubitaverim, an militia Romanorum vel à Vegetio vel Lipsio graphicè delineata tam bene unquam ordinata sit, aut ordinari potuerit. Interea tamen Vegetio pro istius temporis conditione debita laus deneganda non est, quando ordinaturum aciem tria antea prospicere monet, *solem, pul-verem, ventum. de re milit. l. 3. c. 14.*

§. XIX.

Non contemnendum etiam erit boni Ducis præsidium, quando ante prælium & in ipsa pugna milites strenue exhortetur, bonumque illis exitum ac victoriā reportatam fere proponat. Multum proficit sagata ista eloquentia imperatoris, quando inclinare potissimum acies & felix nutare fortuna videtur. Ita enim miles contra pericula audentior erit Ducis horatu erectus iterum, & ad spem quam abjecerat revocatus. Dicendi hanc artem in viro militari laudat *Onosander in Strategico suo, seu imperatoris institutione c. 1. §. 10.* Ita autem is hac de re interprete *Nicolao Rigaltio*, scribit: *Eligendum imperatorem censeo dicendi peritum. Hinc enim maxima præcipuaque in exercitum commoda deri vari puto. Siquidem Imperatoris vehementi concione eretti excitatiq[ue] in procinctu milites, arduaque & formidolosa despiciunt, & propositam in laudem victoriamque acriter decertando conspirant. Nec ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam accidunt, aut irritant,* *uthor-*

ut hortatrix ad virtutem & gloriam oratio , intrepidas
 expeditæ aciei mientes ad opposita pericula erigit , stabilit-
 que : imm' & metu conterritos , peneque jacentes , sœpe
 constanti roboret allocutione . Neque nostris etiam mo-
 ribus crediderim laudatissimum hunc ad milites dicen-
 di morem in desuetudinem abiisse , decere autem Imper-
 atorem atque receptum esse novi non prolixum ser-
 monem atque longiori circuitu tædiosum , sed brevitate
 commendabilem . Unde unica vox fratum & Com-
 militonum fortius movendi vim habet militantium a-
 nimos , quam comitissima quædam multisque elegan-
 tiis ac sententiarum ubertate luxurians Alexandri apud
 Curtium ad milites oratio . Imperatoris vox sola ac
 nutus plus efficit quam dictio excogitata ; verbum illi
 saepius pro oratione sit necesse est , quandoquidem sta-
 tus militum , imprimis in acie constitutorum , tædio-
 sam orantis Imperatoris facundiam , aut otiosam loqua-
 citatem non admittit . Unde quilibet facile intelligit ,
 non censendum esse conciones illo Alexandri apud
 Curtium totidem verbis habitas esse , prout nobis ibi
 exhibentur . Nobilis interdum sententia , aut di-
 ctum unicum animos percellens illico à Ductoribus e-
 jusmodi bellicis in fervore militæ pronunciatum à
 scriptoribus antiquis postea deductum est latius , idque
 ideo , ut lectors majori cum voluptate priscorum fa-
 torum recordarentur . Non insolitæ sunt apud vete-
 res conciones Ducum tam ante quam inter prælium ,
 quæ allocutiones dicebantur prout testantur nummi an-
 tiqui ad nostra hodie tempora fatorum clementia trans-
 missi . Impressa enim iisdem leguntur hæc verba :

D 3

AL-

ALLOCVTIO AD COHORTES, ubi itidem Imperatores saga amicti concinoem habentes conspicuntur. Masculâ hac dicendi arte Blæsus turbatas seditione Pannonicas legiones mitigavit *Tacit. Annal. l. c. 19.* In Cæsaris vitâ narrat *Suetonius*, quod Imperator hic milites missione ac præmia importune flagitantes, & seditionem molituros, sola compellatione, quâ *Quirites* eos vocabat, ad officium revocaverit. Unde & Galli quondam, *Luciano teste*, Herculi viro perpetuo bellis innutrito acceptam tulerunt eloquentiam, eâque de causa leonis quidempelle redimitum, & dextrâ clavam, arcum lœvâ tenentem finxerunt; verum & ex ore catenulas tenuissimas extremo linguæ apici annexas prodire dixerunt auro electroque puriores, quibus ingentem mortalium turbam summis suspenſam auribus ad se alacrem neque relutantem pertraheret; non aliud quicquam designare volentes, quam singulari dicendi facultate milites ab Hercule ad longinquas expeditiones & durissimos labores suscipiendo fuisse motos, eumque suadendi magis copiâ quam armis ac terrore feros plerosque domuisse & imperio subjecisse populos externos, prout censet *Joh. Voetius* in doctissimo libro *de Jure Militari cap. 3. n. 37.*

§. XX.

Quemadmodum incumbit Ducibus bellicis exhortari in periculis commilitones: ita & ad idem illorum spectabit officium post pericula & exantatos labores præmia & compensationes distribuere. Non parum autem conferat ad ulteriore militis fortitudinem inflammmandam, si & captivis ab hoste militibus aliquod pro

pro fide maneat solarium. Consistit illud in capti-
vorum redemtione, ac lytro, & permutatione. Ly-
tri finis intuitu captivorum est, ut calamitatibus
suis ac ærumnis, quas in captititate sustinent, subtra-
hantur. Pertinent huc verba Ambrosii lib. 2. Offic. c. 2.
Quis est tam durus, immitus, ferreus, cui displiceat, quod
homo redimatur à morte, fœminæ ab impuritatibus barba-
rorum; que graviores morte sunt; adolescentulæ, vel pue-
ruli, vel infantes ab idolorum contagis, quibus mortis me-
tu inquinabantur, v. Beckleri *Disf. de milit. capti-v.* E-
quidem hæc lytri solutio maxime obtinet inter gen-
tes Christianas invicem belligantes, apud quas ser-
vitus merito abrogata est, quæ abrogatio & eos-
que extenditur, ut nostri ab infidelibus capti
à Christianis pro servis minime habeantur, quando-
quidem nos contra Saracenos e. gr. servitute non uti-
muri, nisi retorsionis jure, atqui vero hoc nostratisbus
ibi detentis obesse non debet. *Illustris Dominus Stryk.*
in Uf. Mod. Pand. lib. 1. t. 5. §. 4. Adeoque æquissima
sententia Didaci Covarruvia, part. 2. Reled. ad cap. pec-
catum de R. I. in 6. §. XI. n. 6. quando hac de re ita diffe-
rit: *Quamobrem nisi aliud lege humana statutum in specie*
sit, opinor, erga Christianos captos à Turcis vel Saracenis
non esse servandas leges Romanorum, que de capti-vis apud
hostes loquuntur; nec esse necessarias fictiones legis Corneliae
& postlimii: *Quamvis in his que possint in favorem ce-*
dere capti-vorum, æquissimum sit, ino omni ex parte iustum,
easdem leges servari. Nec enim Reipubl. Christiaue con-
venit, præter ipsam capti-vitatis afflictionem, damnum aliud
aut detrimentum Christianis apud Saracenos aut Turcas
capti-

captivis irrogari. add. Dn. Schilter in Prax. Jur. Rom.
Exerc. 3. adff. th. 2. Ex quibus facile liquet, rigidam
 illam Romanorum servitutem inter Christianos hodie
 cessare, ut merito dubitaveris, an lytrum aut redem-
 ptionis pretium sublata servitute, requiratur? Quam-
 vis autem inter belligerantes Christianos mitior sit
 captivorum conditio, tamen finis iste non omnino
 cessat. Quare eum *Grotio lib. 3. c. 21. §. 14.* recte con-
 cludimus: Redemptionem captivorum multum fa-
 voris habere. Unde eandem alimentorum causæ æ-
 quiparant JCti. *Baldus in L. Sancimus C. de SS. Eccles.*
Everb. in Topic. Legal. c. 17. n. 3. *Surdus de aliment. tit. 9.*
queſt. 3. n. 2. Piam esse dicit *Ant. de Padilla in Auth. res*
que C. de SS. Eccles. n. 100.

§. XXI.

De origine lytri variae variorum sententiae sunt,
 ita ut nonnulli putarint: redemptionis pretium sive
 morem redimendorum captivorum descendisse ex ju-
 re Gentium, atque abolita servitute in ejus locum suc-
 cessisse. Nos cum *Celeberrimo Domino Hertio accura-*
tissima diligentia hoc argumentum peculiari differ-
tatione de Lytro excutiente, neutrum putamus. *Poste-*
rius ideo non admittimus, cum illis etiam temporibus,
 quibus servitus adhuc vigebat, populi aliquando ca-
 ptos sponte in libertatem restituerint, ac domum re-
 miserint. Exempla collegerunt *H. Grotius L. 3. de J. B.*
§. P. c. 10. §. 9. §. in annot. §. c. 10. §. 6. & Freinsheimius
Lib. 7. ad Curt. c. 9. §. 18. add. L. 5. C. de Captiv. §. postlim.
Causas Politicas exhibet Zevecotius in Observatis ad
Flor. lib. 1. c. 18. aliquando invicem permutarunt, ali-
 quando

quando redimi pretio siverunt ; quamvis tamen prout & Diff. cit. probe monet Dominus Hertius , negandum non sit , in frequentiorem usum captorum redemptionem venisse , cum servitus desueta esset , & captos extra causam macari , nec humanitas , nec mansuetudo Christi lege praecpta , nec mutuae utilitatis respectus permetterent . Non prius concedimus , videlicet lytron esse juris Gentium , nam gentium jure in victoris voluntate ac arbitrio est , velit captivum dimittere , an retinere , illum praesertim cuius fortitudo & prudenteria in bellis spectata & cognita est , ut bene observat Dominus Feltman Resp. milit. l. 9. n. 72. & seqq. Et plurimis omnium temporum exemplis confirmatur . Deinde , id notante inter alia hic Domino Hertio , si modus solitus in aetirmando capti pretio excedatur , vix alium effectum habet , quam ut idem aliquando exemplum metuendum sit , quod quis in alium statuerit . Tandem autem propter nimiam crudelitatem & effusionem sanguinis innocentis suadente id lege Naturali , eo deuentum a Gentibus est , ut lytri usus sensim placeret . Id quod praelaudatus Dominus author Diff. de lytro duobus exemplis ex Historia Belgicâ illustrat , ex quibus unum hic Richardo Malcomeſio innot. ad Wesenbec. p. 21. id referente inserimus . Ita autem verba se habent : In der erſt habe kein quartier gelten wollen / hernach als die Geffen den Don Paciecc des von Alba Blutsfeindt aufgckenüpft / hatte solches Exemple so viel gegolten/dah die Ranßion nach Städtsgebühr geschlossen und gehalten worden . Pluribus idem retulit Everhard. Reidanus l. 1. annal. Belv. ad annum 1573. Dionysio Vossio interprete : Non ille (Albanus) capere quenquam , non captivos redimi vallit .

est; sed laqueo uni-versos, & exquisitis tormentorum doloribus enecare. Verum ut eandem Hispanorum fortunam vidit, cum nullum Foederati redimi paterentur, sed sine discrimine nobiles, ignobiles (& in illis Pacecum sanguine ei jundum) tollerent in patibulum, aut precipites in fluctus darent; adeo ut Vlissinge mille trecentos Hispanos idem tulterit patibulum, cum non paucioribus demersis, tantus non tantum furor esset, ut nec spatium sibi relinquenter, torques aureos pretiosamque vestem nobilibus detrahendi, diligenterius servare jura belli, & tanquam cum hostibus agere cœpit. Quamvis nunquam Hollandi aut Zelandi ex quo vires nocti iuras didicerunt, passi sint emi salutem navalibus præliis captorum. Vnde jurejurando se navium præfeci obstruere coacti mortem ante quam ditionem subituros, nec hostium licet dendentium se cuiquam parcituros. vid. pluribus celeber. Dominus Hertius Diff. de Lytro Sect. 2. Thes 12. Conf. Grotius lib. 2. Annal. p. 36. 37.

§. XXII.

Ex hacdenus dictis recte omnino colligitur: ex actionem lytri non esse injustam propter cultiorum gentium confessionem, quæ, ut Cicero ait, *jus naturæ* putanda est. Jus enim Naturæ omnia ista approbat, quæ tanquam media interviunt avertendæ læsionis, & malii gravioris e.g. occisionis captivorum, quippe quæ externo gentium jure videbatur permitta. Porro ex his infertur, ita solutum, velut ex injusta causa aut indebite solutum, non posse repeti, ut recte docet & in facto memorat Alvarus Valascus Consult. 30. n. 4. Quid autem dicendum, si quis aliquem à latrunculis & hostibus eripiat, & aliquid pro eo ab ipso accipiat? Plane hæc quoque donatio irrevocabilis erit, secundum Paulum in L. 34. §. 1. de donat. Pretii quantitas determina-

minata non est. *Aequitas interea suadet ne sit immoderatum*; ubi quidem ultra trientem bonorum non porrigi vult *Alciatus ad L. I. de A. vel A. poss.* Sed sententia ejus ratione omni destituitur. Plerumque ob incertum bellorum eventum pacta hac de re fiunt, quæ Chartel vocari bello tricennali Germanico cœperunt, si fides habenda *D. Philippi lib. I. Ecl. ad I. 37.* Lege hujus generis conventiones apud *Hoyerum ad art. 80. jur. Mil. Brandenb.* & *Pufendorf. lib. 14. Suecic. §. 22. ad A. 1642.* & *lib. 15. §. 10. ad A. 1643.* ut & cit. *Dominum Hertium*, qui exemplum ejusmodi pacti inter Sac. Cæs. Majest. & Regem Galliæ anno 1692. d. 2. *Maji* initi sub finem prælaudatae dissertationis adducit. Pactum autem tale super redēptione captivorum facere non possunt minores in bello potestates, nisi Princeps id concesserit, aut ratihabuerit *Feltman. Resp. Mil. IX. n. 60.* Nam in specie de belli causis & consequentibus transfigere Ducum non est, *Grot. lib 3. c. 22. n. 7. Alb. Gentil. II. 10. p. 228. Bodin. de Rep. III. 2.*

§. XXIII.

Sed ut scopo nostro inserviamus, hic oritur quæstio, an civitas vel militiae Imperator captos milites ex publico redimere teneatur. Negant *Burger Cent. I. Obs 34. cum Heigio*, idque exemplo illustrat Conradi Kauffungi, à Friderico placido Electore lytrum exigentis, dicit Elector: Extraneum illum & stipendiarium fuisse militem, non vasallum, proinde nec pretium redēptionis petere potuisse. *Cur enim inquit, qui vitam pretio addicunt capti vitatis damañ sibi postulent resarciri. V. Albin. Meischnich. Chronic. tit. 21. pag 531.* Evidem hic distingui videmus inter lectum & mercenarium militem, neque id forte sine ratione, quando-

quidem cives arctiori vinculo civitati annexos esse, quam conscriptū ex mercenariis militē dudu est quod viri politici ac civiles observant. Interim tamen & hic Belli Ducem aut supremum Imperantem humanitatis memorem esse debere animadverto, & licet tanquam conductor casum fortuitum mercenarii sui non præstet de jure stricto, servet tamen de jure æquo & humaniori, & tanquam Christianus Christiano. Hodie moris est, captivos, si intra mensē à Ducibus suis non redimantur, nec unde lytrum persolvant, consequantur, jurejurando quo obstringebantur, tacite exsolutos censeri, ut capientis Ducis militiae jure se ad dicere possint, observante id rerum militarium, prout D. Hertio audit, peritissimo *Burgero*, Cent. I. Obs. 31. E leemosynas in usum redēptionis colligi in quibusdam locis receptū est v. *Barthol. ad L. 2. C. de annon. ciu. Vincent. de Franchis Dec. 190.* & alios. In captivorum redēptione Romani olim difficillimi fuerunt, quamvis milite lecto uterentur, prout videre est ex illustri illa consultatione de captiuis Cannensibus apud *Livium lib. 22. c. 59.* & ex responso Senatus, Hannibali Romanos captivos, ut redimerentur, offerenti, dato apud *Eutropium l. 3. Hist.* Eos ciues non esse necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Auro repensus scilicet acrior miles redibit? flagitio additis damnum, nec amissos colores lana refert medicata fuco, Regulus apud *Horatium ait. Conf. L. 12 ff. de capt. & postlim. rev.* id quod Grotius lib. 3. c. 1. §. 24. nimiae imperii cupiditatē forte non sine ratione adscribit. Evidem & notam hanc fuisse singularis animi magnitudinis crediderim, qua omnes actiones infra ipsorum fortitudinem positas & indignas viris militaribus fugere atque horrere videbantur. Plato au-

to autem *s. de Legibus* censuit, captivum non redimendum, imo etiam, si sine pretio reddatur, non recipiendum. *Is ipse præda est*, inquit, *itaque eā hostis utatur pro arbitrio*. Quæ forte Platonis sententia huic adstruendæ hypothesi non sufficiens erit, cum infortunio ut plurimum ejusmodi captivitates accidant, qui casus & viris egregiis & militiam probe callentibus sœpe contingere possunt, non imbellibus tantum hominibus & meticulosis. Interim negandum non est, vitio sœpius verti Generalibus, si circumclusi licet ab hostibus, copiis tamen pares, gladio viam sibi parare ruerendo per medias cohortes intermittent, nec ultima quævis potius quam captivitatem patiantur, quantumvis hæc fortitudo temeritati admodum proxima sit, impri- mis si talia frustra tentare cupiant machinis undique bellicis & tormentis militaribus circumsepti.

§. XXIV.

Supereft ut Ducum supremorum officiis proprius excussis, paucis adhuc & de inferiorum officialium & gregariorum quibus utrisque militantium nomen imponimus, munere hoc loco agamus. Sicuti autem respectum hic esse mutuum supra monuimus, ita officia inferiorum, posteaquam quæ superioribus convenient pensitavimus, ex illis facile poterunt colligi. Neque adeo hic expositurus sum, quanam ad militis personam requirantur, quinam esse tales per legem civilem possint, qui prohibeantur, quandoquidem & *LL. Romanæ* quæ *de re militari* & *Dig. & Cod.* latius agunt ut & interpretes ad dictos titulos prolixius ista exequuntur, licet non diffitear, non multum utilitatis hodie jus Romanum afferre in decidendis controversiis ad statum militarem spectantibus. Præterquam

E 3

enim

nim quod jura Gentium hic omne punctum ferre videantur, illud etiam tenendum est, in imperio Romano-Germanico militiam, comparatione facta ad antiquam Rempubl. Romanorum, longe aliam induisse faciem quam ut ex LL. Romanis possit definiti, quippe quae ad hodienam militum conditionem vel parum vel plane non quadrant. Indolem & constituendi modum ex generalibus principiis omnes Gentes intelligent, ut jus Romanum hac ex parte in subsidium vocandum non sit, & illud certissimum, quod ipsi imperantes dispositionibus illis Romanis non obligentur, nisi quatenus communis Gentium nitantur affectu.

§. XXV.

Officia itaque inferiorum thilitantium quod attinet, magna hodie Principum providentia conspicitur, ut eadem rite dirigant, currentque, ne militantium quisquam admittat suam indignum statione. Evidem easdem virtutes, eundem vivendi modum hodie in milite requirunt supremi imperantes, qui exigunt ab hominibus in Republ. & statu civili decentibus, & confidenter ausim dicere, plus fere hodie accusationis requiri a viro sagato quam in togavivente. Qui enim in militia munia sua non recte obit, qui intemperans, rixator, ludo vel similibus vitiis deditus reprehenditur, nunquam aut rarissime ad pinguiora officia provehetur, licet alias in virtute militi propria non deficiat, & strenui militantis nomen sortatur. Unde magna circumspectione opus est, si quis in militia Principi suo placere cupiat, qui hodie & bonum militem & bonum simul virum in milite requirit. Videamus ergo hic paucissimis, quanam militem decorent officia imprimis in expeditionibus bellicis constitutum, ubi propter continuo imminens capiti periculum proprius veræ virtutis & officii memor sit oportet, & lexmilitaris etiam hoc exigit.

§. XXVI.

Quare cum ad oppugnationes urbium & castrorum, cum ad campum ubi gloria palmas suas distribuit, deuentum est, primum militis & ultimum officium erit, belli duces & ad pictatem & for-

& fortitudinem ducentes sequi, nihilque committere nisi quod
viro honesto & bene de Republica merenti conveniat. Hie
meditetur semper, in fuga sedam esse mortem in victoriâ au-
tem gloriosam, & perpetuo strenuorum militantium exempla vel-
ut perfectissimas & absolutissimas imagines sibi proponat. Porro
expeditionis tempore quando hostis in conspectu est, ita ut bre-
vi congregendum, cum puram Deo offerre animam teneatur,
miles abstineat ab omnibus impuritatibus, incontinentia, rixis,
ebrietate, aliquis interperantia satellitibus vitiis. Brevi enim
tempore evenire poterit ut in cruento hoc negotio constituti
summum Numen animam sit repetitum, cum vita amissio
ab unius globuli iœtu dependeat. Mortem ad ejusmodi
vita conditionem redactus ferio meditetur, & cum propositum
sit aut vincere aut mori, ita præparata animam suam ha-
beat, ut perinde ipsi futurum sit, utrum in expeditione bellicâ,
an in lecto domestico esset moriturus. Prælium itaque
ingrediatur eo animo quo foret, cum Deus ipsum evivis
esset sublaturus. His adeo præsidis munitus, Numinis nempe
reverentia, & mortis ac ultimæ & fatalis horæ consideratio-
ne, æque innocenter prælio ac templo interessere poterit, nullum-
que plane animæ periculum pertimescat.

§. XXVII.

Ultimo demum Principi suo & belli Duci fidus sit miles in
prælio & expeditione constitutus, exemplo legionis Melitensis
seu fulminatricis, qua licet Antonino Philosopho imperatori
Ethnico sacramento obstricta esset, ita tamen obsequium suum
fidemque probabat, ut precibus suis proœxercitu universo Anto-
nni siti alias perituro, pluviam exoptatissimam à Deo & exora-
ret, & impetraret, prout Ecclesiastici scriptores plenius id per-
hibent. *jung.* doctissima dissert. *Illustris Ulr. Obrecht de Legione fulmi-*
natrice. Damnantur inde merito proditores, translugæ, occulta
commercialia aleates, conspiratores in caput supremorum belli
Ducum, quibus delictis sua etiam poenæ & positivo civili & Gen-
tium jure constituta sunt, de quibus §. 15. & 16. *hujus Dissertationis*
pluribus jam tum actum est, ut adeo eodem nos merito remitta-
mus. Memorabile admodum *Valerius Maximus* militis captivi ani-
mo pla-

mo plane infraicti & fidelis exhibet exemplum in C. Mevio centurione divi Augusti. Sine ulla*s, inquit, imaginibus nobilem animum, & constantiae propositum sicutus C. Mevius centurio divi Augusti, cum Antoniano bello saepenumero excellentes pugnas edidisset, improvisis hostium infidis circumventus, & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatusque, quidnam de eo statui deberet. fugulari me, ait, jube, quia nec salutis beneficio, neque mortis supplicio adiungi possum, ut Caesaris miles esse designam, & tunc esse incipiam Val. Max. lib. IV. c. 8.* Laudantur itaque milites, qui sacramenti praestiti haud immemores, licet ab hostiis circumventi sint, fidem tamen Principi suo debitam ubique probant, & arma in pecto non abscindunt meticuloſi, nec aciem derelinquent. Gravissimae enim hanc in rem posita sunt penes vid. tit. IX. §. 11. Br. Lüneb. Ritteres Recht artic. 34. & seqq. aliaeque leges militares. Hinc videmus generosos lape milites malle vitam amittere, quam sinere, ut ipsis arma eripiantur, & exempla haud desunt strenuorum officialium, qui recentioribus etiam bellis, in ipsis signis aut vexillis militaribus miserimi cæsi ac trucidati, haben sich in der Fahne lieber massacriren und in Stücken zerhauen lassen / als daß sie die Fahne über Estandarte an den Feind übergeben hätten.


§. XXVIII.

Tantum quidem de praestanti hoc argumento dixisse sufficiat, cum non omnia que asseri poterant, Academicæ contentationis limites capere videantur. Adeoque nihil addimus nisi votum, quod pro justis armis omnibus & supremorum militantium salute serio nuncupamus. Det Deus immortalis, ut pia arma gerentes tristi quidem at debito Principibus suis officio in bellicis expeditionibus gloriose detungantur, & cum bellum geratur propter pacem, inspiret idem Deus Supremis terrarum Dominis concordie & tranquillitatis studium, ut bonam militiam militantes bonam quoque conscientiam conservent.



Hemu stadt, Diss., 1704-05





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Centimetres
Inches

Bra. 4. num. 19.

VVILHELMI

RECHT

um Prof. Ordinarii

NTATIO

ENTIVM

E

NTIUM

IN EXPE-

US BEL-
SIS

und Bataillen.



TADII

Hammii, Acad. Typogr.
CCV.

